

et Phoeniciam ac Palaestinam, 7.) quae filiorum caede infamis est, e quibus nefanda illa sacra primo ad Græcos, deinde vero ab his ad Romanos transferunt.

§. 2.

Est vero devotio voluntaria vitæ hominis pro salute plurium in periculum adducta ponendae, Deo per eam placando, dedicatio. Ad arbitrium enim et libidinem suam homines, nulla lege, neque naturali, neque ore summi legislatoris prolata, nullaque religione obstricti, devotionis ritum atque necessitatem temere sibi imposuerunt. Aderat in eo quidem devotionis ritus, unus, interdum, raro licet, pauci, qui vitam ponebant, ex altera vero parte plures erant, pro quibus ponebant. Causam præbuit plurium salus, cui ingens periculum internecionem parans conflare putabatur. Spondebat tum ac devovebat vitam unus irato Numini pro vita plurium, et, quod sua religione aliter exsolvi haud posset, nisi vita sua pro vita plurium posita, dictus est *Αντίψυχος*. Nec denique sine inepto hæc fieri existimabantur, quod iratum infensumque Numen ea placari et insigni hac expiatione facta propitium reddi vulgo persuadebatur. Quid est igitur, quod devotionis causam tueatur, eamque humano generi tantopere commendet, ut a fortissimo ac sapientissimo quoque non solum non reformidata, sed etiam lubentissimo animo suscepta atque peracta quondam fuerit? Non deesse videntur bonae, ut gentilibus quidem videbatur, causae praesidia, quibus ea stabiliri magno opere atque ornari egregie putatur. Praecipiunt enim sanctissimae naturalis pietatis leges, vitam deberi Deo, primae vitae humanae origini, animamque summo Numini reddendam esse,

) (3

quam

7.) reliquarum gentium Nomina vide dans les Memoires de l'Academie des Inscriptions et belles lettres, Tom. IV. pag. 264. 265.